Toletana Canonicatus super declaratoria.

21

Reu. Pater, PRo expeditione rescribendum omninò videtur, quia contumacia Reuerendissimi Capituli non potest esse magis conspicua, proterua, & inexcusabilis, nam post extraditam possessionem vigore litteram exequutorialium impugnat fructuum solutionem, quasi quòd hoc Sacrum Tribunal in litteris exequutorialibus demandasset extradi Principali possessionem Canonicatus sine effectu, & de vento, non autem veram, realem, corporalem dicti Canonicatus possessionem, & omnium illius fructuum, reddituum, prouentuum, distributionum, & emolumentorum, quorumcumque, vt liquet ex *Summario reassumend. num. 2. litt. N. circa finem, vers. & pro effectu exequutionis huiusmodi,* quod reperitur etiam *d. Summ. num. 2. litt. OOO.*, & passim in dictis litteris exequutorialibus, quo circa si in litteris exequutorialibus decretum fuit vt Principali extraderetur possessio Canonicatus plenaria, idest cum omnibus fructibus, redditibus, prouentibus, & distributionibus, vtique Reuerendissimum Capitulum recusando post traditam possessionem extradere fructus, & prouentus d. Canonicatus D. Principali, non potest maiori contumacia non obtemperare litteris exequutorialibus, idcircò frustrà D. exaduersò Scribens euitare prætendit relaxationem declaratoriæ sub prætextu, quod non adsit contumacia, & positiua inobedientia, cum contumacia, & positiua inobedientia non possit esse magis conspicua.

Nec dicta contumacia, & inobedientia adeo clara euitare potest sub prætextu, quod in litteris exequutorialibus Capitulum fuerit condemnatum ad restituendum fructus à die denegatæ possessionis vsque ad actualem Canonicatus possessionem; Etenim sententiæ, & exequutoriales duas habent partes; In prima enim mandatum fuit, vt Capitulum extraderet Principali possessionem veram, realem d. Canonicatus, eiusque fructuum, redditum, prouentum, distributionum, & quorumcumque emolumentorum; In secunda parte condemnauit Capitulum ad restituendum fructus, & emolumenta dicti Canonicatus decursos à die denegatæ possessionis, scilicèt à die 2. Ianuarij 1713. vsque ad effectiuam, & actualem d. Canonicatus possessionem pro quorum restitutione pariter necesse fuit declaratoriam expedire, quocirca licèt Reuerendissimum Capitulum ad effugiendam

 pu-

publicationem declaratoriæ paruerit huic secundæ parti sententiarum, & exequutorialium, pro quibus necessaria fuit, vt dixi; expeditio declaratoriç, non tamen obtemperauit primæ parti extradendo Principali possessionem realem, corporalem, & effectiuam dicti Canonicatus vna cum fructibus, emolumentis, distributionibus, ad dictum Canonicatum spectantibus, & proindè ad hoc, vt Reuerendissimum Capitulum huic primæ parti obtemperare cogatur decreta fuit declaratoria, prout necesse fuit, vt hoc Sacrum Tribunal illam decerneret, vt Reuerendissimum Capitulum obtemperaret dictæ primæ parti.

Neque dicatur quod non possit considerari inobedientia respectu fructuum, post possessionem decursorum, ex quo super illis non adsit expressum præceptum Iudicis, nam hoc in facto non subsistit; cum quemadmodum in sententijs hoc Sacrum Tribunal concesserit Principali immissionem in quasi possessionem Canonicatus, eiusque fructuum reddituum, & prouentuum, vt ex *Summario principali num. 2. litt. N.*, & passim in dictis litteris exequutorialibus, & subindè Iudex mandauerit quod si omnibus, & singulis contentis in dicta sententia non adimpleuerit realiter, & cum effectu, decretæ fuerunt censuræ, *dicto Summario num. 2. litt. R.*, & pleniùs in eodem *Summario num. 2. litt. OOO.* vndè contumacia, & inobbedientia Capituli litteris exequutorialibus nequit esse magis clara, dum prætendunt extradidisse possessionem nudam, & vacuam, non autem possessionem veram realem, & actualem, vna cum fructibus, & emolumentis quibuscumque, prout in litteris executorialibus litteris rotundis demandatum fuit.

Neque vlteriùs vrget, quod licet demandata per exequutoriales possessione Canonicatus, sub illis etiam veniant de Iure fructus post possessionem, nihilominùs super solutione fructuum post traditam possessionem, non adest positiuum Iudicis præceptum, Sed in hoc est æquiuocum manifestum, quia Sacra Rota non decreuit simpliciter favore Principalis nudam, & simplicem possessionem, sed decrevit possessionem plenariam, scilicèt veram, realem, actualem, & etiam expresè, & specificè decreuit possessionem *vnà cum omnibus, & singulis illius fructibus, redditibus, emolumentis, distributionibus, & aliis quibuscumque emolumentis*, prout suprà probatum fuit, ideoque licet Reuerendissimum Capitulum extradiderit Principali possessionem Canonicatus, nihilominùs si prætendit, quod dicta possessio esse non debeat plenaria, & vigore illius extradere post possessionem fructus, vtique

ma-

manifestè contradicit præcepto litterarum exequutorialium, vt de se patét.

Frustrà autem exaduersò prætenditur, quod vbicumque concurrat dubietas ex facto extrinseco, an scilicèt de Iure fructus post possessionem veniant solvendi, tunc resultat excusatio ad euitandam pænam Censuratam.

Etenim RR. PP. omnes istæ sunt ideatæ quæstiones adinuentæ, nàm si hucusque Dominus exaduersò Scribens specificando pretensionem Capituli probare conabatur contrà facti veritatem, quod sub litteris exequutorialibus non veniant fructus decursi post extraditam possessionem, quasi quod in litteris exequutorialibus demandata fuisset extraditio possessionis materialis, verbalis, & de vento, non autem extraditio possessionis plenariæ, cum fructuum perceptione, nunc prætendit adesse causas propter quas fructus non debeantur, & nihilominùs quacumque exceptione non obstante decernenda est expeditio declaratoriæ, nàm tunc, & eo casu posset Reuerendissimum Capitulum euitare declaratoriam sub prætextu, quod fructus non debeantur post extraditam possessionem ex aliqua causa extrinseca, quoties in termino ad docendum de paritione in actis comparuisset, & paratum se exhibuisset ad parendum litteris exequutorialibus, & fructus decursos persolvere post extraditam possessionem, & deposuisset aliquam summam, atque se obligasset soluere residuum postquam ab hoc Sacro Tribunali resolutum fuisset esse debitos, & facta illorum liquidatio, sine qua paritione legitimè facta in actis nunquam euitare potest declaratoria sub prætextu, quod fructus non debeantur, siuè quod sint illiquidi, vt probat *Rot. dec.* 254. *nu.* 8. *par.* 6. *Adden. ad Buratt. decis.* 17. *num.* 6. & respondit *Rot. in hac eadem Causa coram Reuerendissimo Ponente* 14. *Ianuarij* 1724. §. *Minùsque super declaratoria*; Idcircò frustrà, non facta dicta paritione, contendit euitare declaratoriam sub vanis, & insubsistentibus prætextibus ad causæ opportunitatem, & ingeniosis adinventionibus repertis, nàm prima exceptio, quod scilicet Capitulum non teneatur fructus Principali persolvere, ex quo in Capitulo non docuerit emisisse fidei professionem juxtà legem expressam *Sac. Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* ibi = *Alioquin prædicti omnes prouisi, vt suprà fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur*.

Respondemus enim quod cum Reuerendissimum Capitulum prætendat non soluere fructus, ex quo Principalis Fidei professionem non emiserit, juxtà formam præscriptam in Concilio Tridentino, vtique ipse tenetur probare tanquam fundamentum

suæ intentionis negatiuam quod Principalis Fidei professionem non emisit, & non reperiet Pars aduersa aliquam auctoritatem, qua probari possit, quod Prouisus, vt possit à Capitulo percipere fructus sui Canonicatus, teneatur coram eo docere, quod Fidei professionem emisit, cum de ea doceri dumtaxàt debeat suo Superiori, scilicèt Episcopo, postquàm ab eo fuerit requisitus, itaut Episcopo, & non alteri possessor Canonicatus tenetur docere, quod emiserit fidei professionem, vt in specie, & indiuidualiter probant *Garz. de Benef. par.3. cap.3. num.48. cum seqq. Ricciul. de Iur. Person. extra gremium Eccles. lib.1. cap.13. n.40. Barbos. de Canonic. cap.17. num.18. & ad Concil. sess.24. cap.12. num.24.*

Vltrà quod liquet ex Instrumentis productis Procuratorem D.Principalis Fidei Professionem emisisse, & iurasse Statuta Ecclesiæ ante captam possessionem, *vt ex Summ. num.2. litt. G G G G G.* & probat *nostra Decisio §. Vndique*.

Non obstante, quod attestatio d. Notarij, qui fuit Notarius transmissus à Reuerendissimo Nuntio Hispaniarum vnus ex Receptoribus d.Tribunalis non probet fidei professionem fuisse emissam ex quò non testatur de actu à se rogato, nam d.Notarius rogatus fuit de omnibus actus gestis occasione qua fuit extradita Procuratori speciali D. Principalis d. Canonicatus possessio, & quemadmodum in cæteris omnibus fuit illi præstita fides, proindè etiam fides præstari debet circa fidei professionem, non obstante subalterna exceptione, quod non constet illam fuisse emissam iuxta præscriptum Bullæ Pij IV. nam cum tam actus professionis fidei quam actus iuramenti præstiti super obseruantia Statutorum insimul facti fuerunt, & iste actus est registratus in actibus Capitularibus, vtique tenetur Capitulum illum producere, & ex eo probare fidei professionem, non fuisse emissam iuxta formam præscriptam à Bulla Pij IV. Iuramentum enim super Statutorum obseruantia, & professio fidei facta fuit de mandato Capituli, & facta fuit eodem modo, & forma quibus, fit per alios Canonicos dictæ Ecclesiæ, & proindè calumniosa penitus videtur huiusmodi exceptio.

Prout quoque calumniosa est exceptio, quod non constet Procuratorem specialiter deputatum à Principali obtinuisse specialem facultatem emittendi fidei professionem, & iurandi statuta Ecclesiæ, nam cum dictum mandatum fuerit Reuerendiss. Capitulo præsentatum vtique si ille non habuisset omnes facultates legitimas, & speciales, Reuerendissimum Capitulum dictum mandatum non acceptasset, neque d. Procuratori possessionem extradidisset, & quia habuisset legitimam causam, non extradendi pos-

ses-

sessionem si aliqua clausula in dicto mandato defecisset, ideò eo ipso, quod fuit præsentatum Procuræ mandatum Reuerendissimo Capitulo, & ab eo admissum, & d. Procuratori emittere fecerunt fidei professionem, & iurare fecerunt obseruantiam Statutorum Ecclesiæ, vtique nequit in præsenti contra dictum mandatum aliqua exceptio opponi per idem Capitulum, quod dictum mandatum vti legitimum admisit, præterquamq quod ad æffectum vt Procuratori censeatur data facultas è mittendi professionem fidei sufficit fuisse constitutum Procuratorem ad effectum capiendi possessionem Canonicatus, quia tunc implicitè censetur data facultas emittendi fidei professionem cum sine præuia emissione professionis fidei non tenetur Capitulum extradere possessionem Canonicatus, vt plenè probat *Barbos. de Offic.*, *& potest. Episc. allegat. 61. num. 20.*, *& de Canonic. cap. 17. num. 5.*, prout ita fuisse decisum à Sac. Rotæ Auditorio *in Varnien. Canonicatus 12. Iunij 1608. coram Sacrato*, vt testatur *Barbos. ad Sac. Concil. Trident. dicta sess. 24. cap. 12. de reformat. num. 29.*

Sed cessat omni difficultas, quia ad hoc vt possint denegari fructus Possessori sub prætextu, quod non emiserit fidei professionem necesse est, vt præcedat Sententia condemnatoria, seù declaratoria, quod Canonicus non fecerit fructus suos ex quo fidei professionem non emisit, vt in puncto probat *Nauar. conf. 3. num. 1.* de summa Trinitate in antiquis *Sanchez. in præcept. decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 10.*, *Castropal. tract. 4. de fid. disput. 1. punct. 19. num. 16.*, *Barbos. de Episc. alleg. 61. num. 28.*, cumque propterea Principalis neque ab Archiepiscopo Toletano requisitus fuerit, vt doceret emisisse fidei professionem, multoqueminus dictus Archiepiscopus Sententiam declaratoriam protulerit super incursu dictæ pœnæ, vtque Capitulum, neque sub hoc prætextu poterit effugere fructuum solutionem post extraditam posessionem.

Multo minus obstat secundum diffugium, quod scilicet de mense Iunij 1724. coram R.P.D. Gamaches terminata fuerit lis mediante expensarum taxatione, quodque proindè Principali non debeantur fructus à mense Iulij 1724. vsq, ad mensem Augusti 1725. de quo tempore se contulit in Ciuitate Murtiæ ad exercendum munus Inquisitoris cum dicto tempore videatur abfuisse sine iusta causa.

Obiectum etenim cessat in facto, & in iure. Cessat quidem in facto, quia lis adhuc pendebat, seù illius reliquiæ non solum, quia Reuerendissimum Capitulum Aduersarium non paruerat litteris exequutorialibus, & proindè relaxatæ fuerunt à Reuerendissimo Ponentè aliæ litteræ declaratoriæ ob non paritionem, ideoque

non

non cessabat causa litis, ad effectum, vt Principali posset de Iure in Vrbe prò defensione litis moram trahere, & fructus, & distributiones lucrari, vt firmat *nostra Decisio* §. *Vndique in fin.* prout in puncto resolutum fuit *à Rot.cor. Benincas. dec.241.n.6., & dec. 299.n.7.*, & licet Capitulū obtemperauerit litteris exequutorialibus quoad fructus decursos de mense Nouembris 1724. nihilominùs adhuc Commissarius Rmi Capituli, qui in Vrbe commorabatur promouebat instantias pro deputatione Congregationis particularis ad effectum cognoscendi de IustitiaSententiarum huius Supremi Tribunalis, & proindè pendente adhuc hoc Iudicio coram Auditore Sanctissimi poterat Principalis propter causam litis in Vrbe commorari pro defensione sui Canonicatus, & honoris suæ familiæ.

Non obstante, quod Principalis habebat Defensores, qui sua Iura poterant tueri ad effectum ne concederetur dicta Congregatio, nam tunc non dicitur, quis legitimè abesse, & permanere in Curia ratione litis, quam habet super Canonicatu, ex quo illam prosequi possit per suos Procuratores solum procedit in casu quo agitur de re leuis momenti, secus est in casu quo agitur de defensione sui Canonicatus, & defensione honoris suæ familiæ, tunc enim pro sola defensione Canonicatus ius permittit, vt possit abesse, & in Curia residere, & lucrari fructus, & distributiones sui Canonicatus, prout est *Text. express. in cap.ex parte il 2. de Cleric. non resid.*, & probat *nostra Decisio* §.*Vndique*, & multo magis, quia Principalis continuauit suam moram in Vrbe tam pro defensione sui Canonicatus, quàm pro defensione honoris sui, & suæ familiæ ad effectum impediendi, ne causa iam sopitam per rem iudicatam huius Sac. Tribunalis restauraretur mediante deputatione Congregationis particularis, & proindè legitima fuit illius permanentia vsque ad mensem Maij 1725.

Dicitur exaduerso Principali non deberi fructus, & emolumenta vestiarij, & similium, soluenda post annum, nam est ideata questio, soluat enim Capitulum totum id, quod est liquidum, & si emolumenta vestiarij non debeantur, id debet probare Capitulum post factam solutionem liquidatorum, & probet in actis non deberi fructus vestiarij, & aliæ prætensiones, quia ista disputanda sunt in alio Iudicio, quando Reuerendissimum Capitulum instabit prò declaratione, an sit sufficienter paritum; soluat itaque Capitulum totum id, quod est liquidum, & incontrouertibile à die captæ possessionis vsque ad præsens, & emittat obligationem soluendi in futurum fructus, & distributiones, & in posterum assumetur disputatio, an constet de paritione, vel potius sit danda aggrauatoria.

Ne-

Neque poteſt eſſe locus ſubſcriptioni Dubij exaduerſo prætenſi quoniam tunc eſset locus diſputationi dicti Dubij, quoties Capitulum in actis fecisset actum paritionis, ſoluiſset, ſeù depoſuiſſet fructus liquidos, & prætenderet aliquos eſse illiquidos, tunc locus eſset ſubſcriptioni Dubij petiti, prout practicatum fuit in Calaguritana exaduerſo allegata: At Reuereudiſsimum Capitulum Aduerſarium nullam fecit paritionem, fructus liquidos non perſoluit, neque depoſuit, nec emiſit obligationem ſoluendi poſt factam liquidationem, ideò nequit impedire Declaratoriæ expeditionem.

Quarè &c.

Vitus Angelus Caualletti.

R. P. D.

C O R I

Toletana Canonicatus ſuper Dec
ratoria.

P R O

Illmo D. Ioſepho Fernandes Iubera
quiſitore Regi Murtiæ, & Canoni
Toletano.

C O N T R A

Rmum Capitulum Toletanum.

Reſponſio.

Typis Zinghi, & Monaldi 1727